


CAMERACVM



CAMERACVM, Gallia Belgicæ inter Sequanam & Rhenum, vrbs arce & mœniorum ambitu adeo munita, vt vna ex primarijs istius Prouinciæ urbibus habeatur. Ad quam magnificentiam prius, quàm nostris temporibus excreveret, maximas difficultates, & varios fortunæ casus experta fuit: Et id quidem ea occasione, quod nobilissimæ Belgarum Prouinciæ, multis retro sæculis, semper in summo pretio sint habitæ, eaque de causa tam multi principes, Reges ac populi, de earum principatu, & dominio obtinendo, summis conatibus contenderunt. Situs etiam oportunitas Gallum illexit, vt Cameraco potissimum insidiaretur. Verus Samarobrina putatur, vbi Cæsar totius Romani exercitus neruum, obsides ciuitatum, literasq; publicas, frumenta, & res sibi caras in trinum, tutumq; locum collocare solebat. Geropius Becanus, in artificiosis coniecturis, quas in suis originum libris explicat, communi multorum sententiæ, vt solet, reluctatur, existimantium Cameracum Cæsaris & veterum esse Samarobrinam. Cùm à Bellouaco plus, quàm triplo amplius absit, quàm viginti millibus, passuum. Hactenus sanè Bellouacum, viginti quinq; id est, totidem millibus passuum, quot Cæsar annotauit, ab Ambiano est remotum, ita, vt nihil dubitem Ambianum Samarobrinam Ambianorum esse. Qui contrariam opinionem defendunt, non ineptum sententiæ suæ defensorem Hubertum Leodium allegant. Qui non malè probat, erubescere se, sine ratione loqui. Quoniam, inquit, audiam quam plurimos de Samarobrina subdubitare, & vereri, ne non sit imperialis illa, & verè ætæna ciuitas, quam Cameracum hodie dicunt, errare vehementer, & n illum aliud opidum esse, confirmandum est. Primum, non me mouet Ptolomeus, qui Samarobrinam ciuitatem Ambianorum facit: nam & si ciuitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur, Samarobrinam esse Ambianos. opidiū gallicè Amiens. Potuerunt enim Ambiani alia quoq; habuisse opida quorum Ptolomeus non meminerit, nihilominus tamen Ambiani, id est, Amiens, non vique adeo tum magnū opidum, vti nunc est, vt veteres muri docent. Sic etiam idē Ptolomeus ciuitatem Rhenorū Durocororum & Cæsaromagum Bellouacorum appellat. Cùm ea tempestate & Rheni, & Bellouaci, sicut hodie, opida erant, & gentis caput Item, Sueffones, & gentis, & opidi nomen est. habuerunt autem sub se Sueffones duo decim opida, vt libro secundo scribit Cæsar, quorum Bibrax vnum, hodie Braine, quatuor milliaribus gallicis à Sueffonibus comitatus titulo decoratum, & item Nouiodunū, Noyon: Bellouacorum vero Bratuspantium erat opidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse opinantur. Cum autem Cæsar esset Samarobrinæ, id est Cameraci, vt nunc vocāt, & certior esset factus de oppugnatione castrorum Ciceronis in Neruijs, misit nuncium statim in Bellouacos ad M. Crassum, cuius hyberna aberant ab eo milia passuū viginti quinq;. Vbi notandum, Bellouacorum urbem paulò amplius distare à Samarobrina. sed hyberna Crassi, non in ipsa vrbe Bellouacorum, sed in eorum finibus aliqua parte fuisse, ita, vt dimensio non obstat. Alterum nuntium etiam in Aesliuos ad C. Fabium misit, vt in Atrebatium fines legionem adduceret, qua sibi iter faciendum sciebat. Erant Aesliui, qui circa opidum Aet habitant, quod superiores Germani Aes dicunt. Fabius autem vt imperatum erat, non ita multum moratus in itinere, cum legione occurrit, quod omnino faciendum ex Aesliuis in Atrebatem ire volenti. Ad Labienum item vt veniret in fines Neruiorum scripserat, si reipub. causa & commodo facere possit. M. Crassum Samarobrinæ præfecit. Post liberatum Ciceronem légiones circa Samarobrinam retinuit. Et profecto commodiorem locum habere non poterat, neq; eni putet quisquam urbē Cameracensem nouam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinem excreuisse. est cerè nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero: Vna collocutio nostra pluris erit, quàm omnes Samarobrinæ. Et in alia epistola: O præclara castra, quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem. Et quodnam amplius dubium esse poterit, quum nomen ipsum indicat, quod quærimus. Cambray Galli, Itali verò Samberey didicunt, vide, quàm facile Samarobrinam inde fecerint. Si ex Amiens faciunt Ambianos, ex Beauuais Bellouacos, quid verat ex Samberey Samarobrinam fieri.

Porro Archiepiscopus, & Principatus Rom. Imp. dignitate Cameracum præfulget, Non quidē ex ordinatione recenti, qua Paulus quartus Anno M. D. LIX. nouos Belgij Episcopatus ordinauit, sed antiqua fundatione, qua Atrebatensis Episcopatus Cameracensi multo tempore vnitus fuit, quemadmodum testantur historia, & præsertim Christianus Massæus Cameracensis lib. xiiij. Chronicorum & Annalium Hannoniæ, qui triginta tres recenset Antistites, vtriq; Ecclesiæ coniunctæ communes. Quorum aliqui ob præclara vitæ merita, in Sanctorum ordinem sunt relati, vt S. DIOGENES, martyrij laurea in persecutione Vandalica illustri. VEDASTVS à S. Remigio Remorum consecratus, miraculis clarus, quæ Hayminus collegit, & vitam eiusdem Alcuinus conscripsit: S. VEDVLPHVS, qui ex Atrebatō sedem Episcopalem Cameracum transtulit. S. GAUGERICVS Clotarium Regem ad fidem Christi conuertit, sepultus Cameraci in Basilica, quæ ab ipso in montis vertice in honorem S. Medardi erat constructa, quo in loco, temporum conditione ita exigente, Carolus V. arcem construxit. Quare Canonici S. Gaugerici receperunt se in parrochiale Ecclesia S. Vedasti, vbi in magnifico choro, à se constructo corpus Sanctus Gaugerici resposuerunt, atque ita Ecclesia S. Vedasti, dicitur etiam Ecclesia S. Gaugerici. S. AVIBERTVS Ecclesiam Atrebatensem construxit, & Hannoniam ad fidem Christi conuertit. iam hoc tempore Cameracensis Episcopatus ad Metropolitanam dignitatem euectus est, Cui Episcopales sedes subsunt Atrebatum, Tornacum, Audomarum, & Namurcum.

Nota de hac Vrbe particularia, quarto Urbium tomo explicauimus.